

2157

A S C E T I C I.

2158

III. fol. 81. *Incipit epistola luciferi principis demoniorum ad potentes et prelatos. ad plebanos et curatos. ad episcopos et ad monachos mendicantes et ad taxillorum lusores.* Initium: *Lucifer princeps tenebrarum tristitie (tristia) profunditatis (profundi) regens acberuntis imperia &c.* Jam taedet crambes toties recoctae. Deinceps currente calamo:

IV. fol. 103. *Prefacio super septem psalmos penitenciales Composita a Domino petro Episcopo Cameracensi.* Et explicatius ad calcem: *Explicit liber de septem gradibus Scale continens meditationes deuotas super septem psalmos penitenciales Composita a domino Petro de aillyaco Cameracen. Episcopo.* Initium: *Vera penitencia velut scala quedam est &c.* ut Codd. XC. et aliis.

V. fol. 137. *Oracio Dominica anagogice exposita a domino petro Episcopo Cameracensi.* Procedit ad hunc modum: *Pater noster qui es in celis. O pater qui spirituales filios generas per viuificantem caritatiui amoris propagationem &c.*

VI. fol. 140. *Incipit deuota meditatio super psalmo In te domine speraui.* A domino P. Episcopo Cameracen. Initium: *Terret me domine deus meus, terret me vita mea &c.* Et praefens et antecedens pium Exercitium inter Cardinalis nostri *Tra&tatus et Sermones Argentinae 1490. f.* editos legitur.

DLXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 630 XV. Folior. nunc 92. 4. commode perscriptus, rubricisque enotatus, olim ad *Wenc. Rofsum Sacerd. Bobemum*, ut a. 1531. propria manu ad p. 55. notavit, *Zdenkonis filium* pertinens exhibet: I. *Caesarii Heisterbac.* Monachi ex Ordine *Cist.* qui annum 1227. vivendo adtigit, *Dialogos de Miraculis suae aetatis* initio mutilos, ita, ut Narratio nostra prima constituat in *Bibliotheca Cist. Bertr. Tisserii T. II. Dist. II. Caput undecimum*, totumque Exemplum fit potius Excerptum *Caesariani Operis*, quam Opus ipsum. Praeterea nobis in *Dialogum maiorem et minorem* distinguitur, quam distinctionem *Tisserius* non agnoscit. *Dialogus minor* incipit fol. 38. p. 2. hoc tenore: *Deus continet omnia in quo viuimus movemur et sumus &c.* Sed operae pretium non est piis his Fabulis immorari, ad quarum calcem sitibundus Librarius adjecit: *Explicit hoc totum possly za potum*, quasi dicas: *Mitte pro potu.*

II. fol. 50. sequitur *Lumen Anime.* Inscriptio miniata: *Mundi substantia eleuat cor hominis, et vergit in mortem eternam.* Initium: *Philozophus sexto animalium.* *In tumidis quidem mortuis pectus altius solito eleuatur.* &c. Excerpta haec sunt e vasta Compilatione *Libri Moralitatum* seu *Luminis Animae* typis *Augustanis*

O o o 3

nis

nis sub initia Typographiae non semel excusa, cui perperam quidam *Matthiam Farinatorem de Vienna* Ord. Carm. autorem faciunt, qui tamen in Prologo suo nihil aliud sibi adrogat, quam Operis distinctionem in *Titulos* et *Paragraphos*, impressionisque procurationem. Prologus alter, qui ipsius Autoris est, refert quidem illum a *Johanne* Papa, qui XXII. videtur, una cum Opere suo ad se evocatum, Opusque ab ipso Papa *Lumen Animae* appellatum fuisse, nomen tamen Viri nequaquam prodit. Legi merentur vetustorum Scriptorum Nomina, quibus hic se in lucubratione sua adjutum fuisse profitetur, quanquam quivis emunctae naris fabulas ibi subodorabitur.

DLXVIII.

399 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 165. 4. caractere crasso per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus miniatam hanc praefert inscriptionem: *Incipit prologus in opusculum* (alius atramento: *moralitatum de naturis animalium*, subdidit) *fratris Henrici Monachi sancte Crucis ordinis Cyst.* (in Austria infer.) *nacione de Schuttenbofen.* Est haec *Bobemiae* urbecula, Autor igitur *Bobemus*, *Trithemio*, *Gesnero*, *Fabricio*, *Balbino*, quin ipsi Ordinis *Cist.* Bibliothecario *Vischio* ignotus. Praeit *Prologum* dimidia Pars *Indicis* alphab. altero dimidio ad

calcem *Cod.* rejecto, et rudis in aureo fundo pictura literae U. diversas Animalium figuras exhibens. *Prologi* initium: *Ut beatus Bernabrdus dicit in libro ad fratres de monte dei. seruum dei nunquam debere esse ociosum — Ideo opusculum subscriptum describendum* (i. e. componendum) *assumpsit ut laboris falce de ortulo cordis vepres cogitationum malarum et temptationum iniquarum spinosos aculeos preciderem — Primo determinando de homine quoad animam et corpus tamquam de digniori. Secundo occasione hominis veri et rationalis de hominibus monstruosis. Tertio de animalibus succincte in generali. Quarto et ultimo de animalibus in speciali secundum ordinem alphabeti &c.* Habes lineas Operis. De Homine porro: *Primo — probatur, quod preexcellat cetera terrestria animalia dignitate. Secundo docetur quid sit diffinitive. Tertio quid sit diuisive. Quarto determinatur de anima. Quinto de corpore humano.* Atque haec omnia rursus in plures Articulos abeunt, quibus singulis *Moralitates* suae subiiciuntur. Pars II. de Monstris et III. de Animalibus in genere admodum laconica est, eo disertior Pars IV. in qua praecipui fontes *Aristoteles*, *Isidorus*, *Liber de Proprietatibus Rerum*, qui est *Bartholomaei de Glanvilla* vulgo dicti *Anglici*, *Physiologus*, qui *Theobaldo* cuidam Episcopo adscribitur, *Plinius*, *Avicenna*, *Solinus* &c. e quibus fabulas non parca manu admetitur Noster, non tam de